

# Universitätsbibliothek Wuppertal

**M. VAL. MARTIALIS**

**Martialis, Marcus Valerius**

**AMSTELODAMI, 1628**

Liber VI.

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.  
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-711](#)

M. VAL.

## MARTIALIS

## Epigrammatum

## LIBER VI.

Ad (Iulium) Martialem. 1.

**S**extus mittitur hic tibi libellus,  
In primis mihi care Martialis :  
Quen si terteris aure diligenti,  
Audebit minus anxius tremensque  
Magnas Cæsaris in manus venire.

Ad Cæarem (Domitianum.) 2.

Lufus erat sacræ connubia fallere tedæ :  
Lufus & immeritos exsecuisse mares.  
Vtraque tu prohibes, Cæsar, populisque futuris  
Succurris, nasci quæ sine fraude jubes.  
Nec spado jam, nec moechus erit, te præside, quis-  
quam ;  
At prius (ð mores) & spado moechus erat.

De eodem. 3.

Censor maxime, principumque princeps,  
Cum tot jam tibi débeat triumphos,  
Tot nascentia templa, tot renata.  
Tot spectacula, tot deos, tot urbes :  
Plus debet tibi Roma, quod pudica est.

De filio Domitiani. 4.

Nascer e Dardanio promissum nomen Iulo :  
Vera deum soboles, nascere magne puer.  
Cui pater æternas post sæcula tradat habendas  
Quique regas orbem cum seniore senex.  
Ipsa tibi niveo trahet aurea pollice filia,  
Et totam Phixi Julia nebit ovein.

Ad

*Ad Cæcilianum.* 5.

Rustica mercatus multis sum prædia nummis :  
Mutua des centum, Cæciliæ, rogo.  
Nil mihi respondes i tacitum te dicere credo,  
Non reddes : ideo , Cæciliæ, rogo.

*Ad Lupercum, de Paulla.* 6.

Comoedi tres sunt: sed amat tua Paulla, Luperce:  
Quattuor: & κωφον Paulla πυρσωπον amat.

*De Thelefina, ad Faustinum.* 7.

Aut minus, aut certe non plus, tricesima lux est.  
Et nubit decimo jam Thelefina viro.  
Quæ nubit toties, non nubit : adultera lege est.  
Offendor moecha simpliciore minus.

*Ad Severum.* 8.

Prætores duo , quattuor tribuni,  
Septem caussidici , decem poëtæ,  
Cujusdam modo nuptias petebant  
A quodam sene. non moratus ille  
Præconi dedit Eulogo puellam.  
Dignum quid fatuo, Severæ, fecit ?

*Ad Lævinum.* 9.

In Pompejano dormis, Lævine, theatro :  
Et quereris, si te suscitat Oceanus ?

*Petit latenter à Cæsare (Domitianus) pecuniam.* 10.

Pauca Iovem nuper cum millia forte rogarem ;  
Ille dabit, dixit, qui mihi templa dedit.  
Templa quidem dedit ille Iovi ; sed millia nobis  
Nulla dedit : pudet, heu, pauca rogasse Iovem,  
At quam non tetricus, quam nulla nubilus ira,  
Quam placido nostras legerat ore preces !  
Talis supplicibus tribuit diademata Dacis :  
Et Capitolinas itque reditque vias.  
Dic precor, o nostri dic conscia Virgo Tonantis,  
Si negat hoc vultu, quo solet ergo dare ?  
Sic ego : sic breviter posita mihi Gorgone Pallas:  
Quæ nondum data sunt, stulte, negata putas ?

*In Marcum. 11.*

Quod non sit Pylades hoc tempore; non sit Orestes,

Miraris? Pylades, Marce, bibebat idem.

Nec melior rhombus, turdusve dabatur Oresti:

Sed par, atque eadem cena duobus erat.

Tu Lucrina voras; me pascit aquosa Peloris:

Non minus ingenua est & mihi, Marce, gula.

Te Cadmea Tyros, me pinguis Gallia vestit:

Vis te purpureum, Marce, sagatus amem?

Vt praestem Pyladen, aliquis mihi praestet Orestes.

Hoc non sit verbis, Marce, ut ameris, ama.

*De Fabulla, ad Paullum. 12.*

Jurat capillos esse, quos emit, suos

Fabulla: numquid illa, Paulle, pejerat?

*De statua Iulia. 13.*

Quis te Phidiaco formatam, Iulia, caelo:

Vel quis Palladiæ non puret artis opus?

Candida non tacita respondet imagine Lygdos;

Et placido fulget vivus in ore liquor.

Ludit Acidalio, sed non manus aspera, nodo,

Quem rapuit collo, parve Cupido, tuo.

Vt Martis revocetur amor, summique Tonantis;

A te Iuno petat ceston & ipsa Venus.

*In Laberium, 14.*

Versus scribere posse te disertos

Affirmas, Laberi: quid ergo non vis?

Versus scribere quis potest disertos,

Non scribat, Laberi: virum putabo.

*De formica electro inclusa. 15.*

Dum Phaetontea formica vagatur in umbra,

Implicuit tenuem succina gutta feram.

Sic modo quæ fuerat vitâ contempta manente;

Funeribus facta est nunc pretiosa suis:

*Ad Priapum, 16.*

Tu qui pene viros terres & falce cinædos,

Iugera sepositi pauca tuere loci.

Sic tua non intrent vetuli pomaria fures;

Sed puer, aus longis pulchra puella comis.

*In Cinnamum. 17.*

Cinnam, Cinname, te jubes vocari.  
Non est hic, rogo, Cinna, barbarismus?  
Tu si Furius ante dictus essem,  
Fur istâ ratione dicereris.

*Epitaphium Salonini, ad  
Priscum. 18.*

Sancta Salonini terris requiescir Iberis,  
Quâ melior Stygias non videt umbrâ domos.  
Sed lugere nefas: nam qui te, Prisce, reliquit  
Vivit, qua voluit vivere parte magis.

*In Posthumum caussidicum. 19.*

Non de vi, neque cæde, nec veneno,  
Sed lis est mihi de tribus capellis:  
Vicini queror has abesse furto.  
Hoc judex sibi postulat probari:  
Tu Cannas, Mithridaticunque bellum,  
Et peruria Punici furoris,  
Et Sullas, Mariosque, Muciosque  
Magna voce sonas, manuque tota.  
Dic iam posthume de tribus capellis.

*In Phœbum. 20.*

Mutua te centum sestertia, Phœbe, rogavi:  
Cum mihi dixisses: exiges ergo nihil?  
Inquiris, dubitas, cunctaris, neque diebus  
Teque decem crucias: iam, rogo, Phœbe, nega,

*De nuptiis Stella & Ian-  
thidos. 21.*

Perpetuam Stellæ dum juvit Ianthida vati  
Læta Venus, dixit: plus dare non potui.  
Hæc coram domina; sed nequius illud in aurem:  
Tu ne quid pecces, exitiose, vide.  
Sepe ego lascivum Martein furibunda cecidi,  
Legittimos isset cum vagus ante toros.  
Sec postquam meus est, nulla me pellice læfit:  
Tam frugi Iuno veller habere Iovem.  
Dixit, & arcano percussit pectora loro.  
Plaga juvat: sed tu jam dea cæde duos.

*In Proculinam. 22.*

Quod nubis, Proculina, concubino,  
Et moechum modo nunc facis maritum;  
Ne lex Iulia te notare possit:  
Non nubis, Proculina, sed fateris.

*In Lesbiam. 23.*

Stare jubes nostrum semper tibi, Lesbia, penem;  
Crede mihi, non est mentula, quod digitus.  
Tu licet & manibus, blandis & vocibus instes,  
Contra te facies imperiosa tua est.

*De Charifano. 24.*

Nil lascivius est Charifano,  
Saturnalibus ambulat togatus.

*Ad Marcellinum. 25.*

Marcelline, boni soboles sincera patentis,  
Horrida Parrhasio quem tegit Vrsa jugo:  
Ille vetus pro te patriusque quod optat amicus,  
Accipe, & haec memori pectore vota tenet:  
Cauta sit ut virtus, nec te temerarius ardor  
In medios enses sævaque tela ferat,  
Bella velint, Martemque feruin rationis egentes:  
Tu potes & patriæ miles & esse decus,

*De Sotade. 26.*

Periclitatur capite Sotades noster.  
Reum putatis esse Sotadem? non est.  
Arrigere desit posse Sotades: lingit.

*Ad Nepotem. 27.*

Bit vicine Nepos (nam tu quoque proxima Flora  
Incolis, & veteres tu quoque Ficelias)  
Est tibi, quæ patria signatur imagine vultus,  
Testis maternæ nata pudicitiae.  
Tu tamen anno so nimium ne parce Falerno:  
Et potius plenos ære relinque cados.  
Sit pia, sit locuples, sed poter filia mustum.  
Amphora cum domina nunc nova fiat anus.  
Cæcuba non solos vindemia nutriat orbos:  
Postunt & patres vivere, crede mihi.

*Epitaphium Glaucia.* 28.

Libertus Melioris ille notus.  
 Tota qui cecidit dolente Roma,  
 Cari deliciae breves patroni,  
 Hoc sub marmore Glaucias humatus.  
 Iuncto Flaminiae jacet sepulcro :  
 Castus moribus , innocens pudore,  
 Velox ingenio , decore felix.  
 Bis-senis modo messibus peractis.  
 Vix unum puer applicabat annum.  
 Qui fles talia, nil fleas Viator.

*De eodem.* 29.

Non de plebe domus, nec avaræ verna catastæ.  
 Sed domini sancto dignus amore puer :  
 Munera cum posset nondum sentire patroni,  
 Glaucia libertus jam Melioris erat.  
 Meribus hoc formæque datum quis blandior illo?  
 Aut quis Apollineo pulchrior ore fuit?  
 Immodicis brevis est ætas, & rara senectus :  
 Quidquid ames, cupias non placuisse nimis,

*In Patrum generatorem.* 30.

Sex festertia si statim dedisses,  
 Cum dixti mihi ; sume. tolle, dono :  
 Deberem tibi, Pæte, pro ducentis.  
 At nunc cum dederis diu moratus,  
 Post septem, puto, vel novem Kalendas :  
 Vis dicam tibi veriora veris ?  
 Sex festertia, Pæte, perdidisti.

*In Charidemum.* 31.

Vxorem, Charideme, tuam scis ipse, finisq[ue]  
 A medico futui, vis fine febre mori.

*De morte Othonis.* 32.

Cum dubitaret adhuc belli civilis Enyo ,  
 Forfitan & posset vincere mollis Otho :  
 Damnavit multo staturum sanguine Martem ,  
 Et fodit certa pectora nuda manu.  
 Sit Cato, dum vivit, sane vel Cæsare major :  
 Dum moritur, numquid major Othone fuit?

*Ad Mathonem, de Sa-*  
*bello. 33.*

Nil miserabilius, Matho, pædicone Sabellio  
Vidisti, quo nil lætius ante fuit.  
Furta, fugæ, mortes servorum, incendia, luctus  
Affligunt hominem, tam miser & futuit.

*Ad Diadumenum. 34.*

Baſia da nobis, Diadumene, preſſa. quo? inquiſe.  
Oceani fluctus me numerare jubes;  
Et maris AEgei ſparsas per littora conchas;  
Et quæ Cecropio monte vagantur apes;  
Quæque ſonant pleno voceſq; manusque theatro;  
Cum populus ſubiti Cæſaris ora videt.  
Nolo quo arguto dedit exorata Carullo  
Lesbia, pauca cupit, qui numerare potest.

*Ad Caciianum. 35.*

Septem clepsydras magna tibi voce petent  
Arbiter invitus, Cæciliane, dedit.  
At tu multa diu dicis, vitreisque tepentem  
Ampullis potas ſemifupinus aquam.  
Ut tandem faties voceſque ſirimque, rogamus  
Iam de clepsydra, Cæciliane, bibas,

*Ad Papilum. 36.*

Mentula tam magna eſt, tantus tibi, Papile, naſus  
Ut poſſis, quoties arrigis, olfacere.

*In Charinum. 37.*

Sexti podicis uſque ad umbilicum  
Nullas reliquias habet Charitus,  
Et prurit tamen uſque ad umbilicum.  
O quanta ſcabie miſer laborat!  
Culum non habet, eſt tamen ci nædus.

*De Regulo, filio Reguli, 38.*

Aſpicis ut parvus, nec adhuc trieteride plens  
Regulus auditum laudet & ipſe patrem?  
Maternosque finus viſo genitore relinquat,  
Et patrias laudes ſentiat eſſe ſuas?  
Iam clamor, centumque viri, densumque coronæ  
Vulgus, & infanti Iulia tecta placent.

130 M. V A L. M A R T I A L I S  
Acris equi soboles magno sic pulvere gaudet :  
Sic vitulus molli prælia fronte cupit.  
Di servate, precor, matri sua vota, patrue,  
Audiat ut natum Regulus, illa duos.

*In Cinnam.* 39.

Pater ex Marulla, Cinna, factus es septem  
Non liberorum : namque nec tuus quisquam,  
Nec est amici , filiusve vicini :  
Sed in grabatis tegetibusque concepti  
Materna produnt capitibus suis furtæ.  
Hic qui retorro crine Maurus incedit,  
Sobolem fatetur esse se coci Santræ.  
At ille firma nare , turgidis labris,  
Ipsa est imago Pannici palæstræ.  
Pistoris esse tertium quis ignorat,  
Quicunque lippum novit & videt Damam :  
Quartus cinædâ fronte, candido vultu,  
Ex concubino natus est tibi Lygdo.  
Percide , si vis filium ; nefas non est.  
Hunc vero acuto capite, & auribus longis,  
Quæ sic moventur ut solent asellorum,  
Quis morionis filium neget Cyrthæ ?  
Duæ sorores ; illa nigra, & hæc rufa ;  
Cæti choraulæ , villicique sunt Carpi.  
Iamque hybridarum grex tibi foret plenus.  
Si spado Coresus, Dindymusque non esset.

*Ad Lycorim.* 40.

Fœmina præferri potuit tibi nulla, Lycori,  
Præferri Glyceræ fœmina nulla potest.  
Hæc erit hoc, quod tu : tu non potes esse , quod  
hæc est.  
Tempora quid faciunt ! hanc volo : te volui.

*In Poetam raucum.* 41.

Qui recitat lana fauces & colla revinctus,  
Hic se posse loqui, posse tacere negat.

*De Thermis Etrusci , ad  
Oppianum.* 42.

Etrusci nisi thermulis lavaris,  
Illotus morieris , Oppiane.  
Nullæ sic tibi blandientur undæ :

## EPIGRAMM. LIB. VI.

131

Nec fontes Aponi rudes puellis,  
 Non mollis Sinuesia, fervidique  
 Fluctus Passeris, aut superbus Anxur,  
 Non Phoebi vada, principesque Bajæ,  
 Nusquam tam nitidum vacat serenum:  
 Lux ipsa est ibi longior, diesque  
 Nullo tardius à loco recedit.  
 Illic Taygeti virent metallæ,  
 Et certant vario decore saxa  
 Quæ Phryx, & Libys altius cecidit.  
 Siccos pinguis onyx anhelat æstus,  
 Et flammæ tenui calent ophitæ.  
 Ritus si placeant tibi Laconum,  
 Contentus potes arido vapore  
 Cruda Virgine, Marciave mergi:  
 Quæ tam candida, tam serena lucet,  
 Ut nullas ibi faspiceris undas,  
 Et credas vacuam nitere Lygdon.  
 Non attendis, & aure me supina  
 Iamdudum quasi negligenter audis.  
 Illotus morieris, Oppiane.

## Ad Castricum. 43.

Dum tibi felices indulgent, Castrice, Bajæ,  
 Canaque sulfureis nymphæ natatur aquis:  
 Me Nomentani confirmant otia ruris,  
 Et casa jugeribus non onerosa suis.  
 Hic mihi Bajani soles, mollisque Lucrius;  
 Hic vestræ mihi sunt, Castrice, dævitiae.  
 Quondam laudatas quounque libebat ad undas  
 Currere, nec longas pertimuisse vias:  
 Nunc Vrbi vicina juvant, facilesque recessus  
 Et satis est, pigro si licet esse mihi.

## In Calliodorum. fellato-

temp. 44.

Festive credis te, Calliodore, jocari;  
 Te sobum multo permaduisse sale.  
 Omnibus adrides; dicteria dicis in omnes;  
 Sic te convivam posse placere putas.  
 At si ego non belle, sed vere dixero quiddam;  
 Nemo propinabit, Calliodore, tibi.

M. VAL. MARTIALIS

In nuptias Lygdi & Lætoriae. 45.

Lufistis, satis est, lascivi nubite cunnū:

Permissa est vobis non nisi casta Venus.

Hæc est casta Venus? nubet Lætoria Lygo?

Turpior uxor erit, quam modo moecha fuit,

Ad Catianum. 46.

Vapulat assiduo Veneti quadriga flagello,

Nec currit, magnam rem, Catiane, facis.

Ad Nympham Stellæ. 47.

Nympha, meo Stellæ quæ fonte domæstica puto

Laberis, & dominini gemmea testa subis.

Sive Numæ conjux Trivizæ te misit ab antro;

Sive Camoenarum de grege nona venis :

Exsolvit votis hac se tibi virgine porca

Marcus, furtivam quod bibit æger aquam.

Tu contenta meo jam crimine, gaudia fontis

Da secura tui, sit mihi sana sitis.

In Pomponium. 48.

Quod tā grande sophos clamat tibi turba togati;

Non tu, Pomponi, coena diserta tua est.

Priapus loquitur. 49.

Non sum de fragili dolatus ulmo,

Nec quæ star rigidâ supina venâ

De ligno mihi quolibet columna est;

Sed viva generata de cupressio :

Quæ nec sæcula centies peracta,

Nec longæ cariem timet senectæ.

Hanc, tu quisquis es, Æ, malus, timeto:

Nam si vel minimos manu rapaci

Hoc de palmite læseris racemos;

Nascetur, licet hoc velis negare,

Insetta tibi ficus à cupresso.

De Thelesino, ad Bithyni-  
cum. 50.

Cum coleret puros pauper Thelesinus amores,

Errabat gelida Fordidus in togula.

Obscenos postquam coepit curare cinædos;

Argentum, meusas, prædia solus emit.

Vis fieri dives, Bithynice? conscius esto,  
Nil tibi, vel minimum basia pura dabunt.

*Ad Lupercum. 51.*

Quod convivaris sine me tam s<sup>e</sup>pe, Luperce,  
Inveni, noceam qua ratione tibi.  
Irascor licet usque voces, mittasque, rogesque.  
Quid facies? inquis. quid faciam? veniam.

*Epitaphium Pantagathi tonsoris. 52.*

Hoc jacet in tumulo raptus puerilibus annis  
Pantagathus, domini cura dolorque sui,  
Vix tangente vagos ferro resecare capillos  
Doctus, & hirsutas excoluisse genas.  
Sis licet, ut debes, Tellus placata, levisque;  
Artificis levior non potes esse manu.

*De Andragora, ad Faustinum. 53.*

Lotus nobiscum est, hilaris coenavit, & idem  
Inventus mane est mortuus Andragoras.  
Tam subitae mortis caussam, Faustine, requiris?  
In somnis medicum viderat Hermocratem.

*Ad Aulum, de Sextilianu. 54.*

Tantos & tantas si dicere Sextilianum,  
Aule, vetes; junget vix tria verba miser.  
Quid sibi vult? inquis. dicam, quid suspicer esset:  
Tantos & tantas Sextilianus amat.

*In Coracinum. 55.*

Quod semper casiaque, cinnamoque,  
Et nido niger alitis superbæ  
Frangas plumbea Nicerotiana,  
Rides nos, Coracine, nil oientes:  
Malo, quam bene olere, nil olere.

*In Charidemum. 56.*

Quod tibi crura rigent setis, & pectora villis?  
Verba putas famæ te, Charideme, dare.  
Extirpa, mihi crede, pilos de corpore toto;  
Teque pilare tuas testificare nates.  
Quæ ratio est? inquis. scis, multos dicere multa.  
Fac pædicari te, Charideme, putent.

*In Phœbum.* 57.

Mentiris fictos unguento, Phœbe, capillos,  
Et tegitur pictis sordida calva comis.  
Tonsorem capiti non est adhibere necessum:  
Radere te melius spongia, Phœbe, potest,

*Ad Aulum Pudentem.* 58.

Cernere Parrhasios dum te juvat, Aule, Triones  
Cominus, & Getici fidera pigra poli.  
O quam pæne tibi Stygias ego raptus ad undas,  
Elysiae vidi nubila fusca plagæ !  
Quamvis laffa tuos quærebant lumen vultus,  
Atque erat in gelido plurimus ore Pudens.  
Si mihi lanificæ ducunt non pulla sorores  
Stamina, nec surdos vox habet ista deos:  
Sospite me sospes Latias revehēris ad urbes,  
Et referes pili præmia magnus eques.

*In Baccarum.* 59.

Et dolet, & queritur, sibi non contigere frigus  
Propter sexcentas Baccara gausapinas:  
Optat & obscuras luces, ventosque, nivesque:  
Odit & hibernos, si tepuere, dies.  
Quid fecere mali nostræ tibi, seve, Iacenzæ?  
Tollere de scapulis quas levis aura potest?  
Quanto simplicius, quanto est humanius illud;  
Mense vel Augusto sumere gausapinas?

*De Pompillo, ad Faustinum.* 60.

Rem factam Pompillus habet, Faustine: legetur,  
Et nomen toto sparget in orbe suum.  
Sic leve flavorum valeat genus Vspiorum,  
Quisquis & Ausonium non amat imperium.  
Ingeniosa tamen Pompilli scripta feruntur:  
Sed famæ non est hoc, mihi crede, satis.  
Quam multi tineas pascunt blattasque diserti!  
Et redimunt soli carmina docta cocci!  
Nescio quid plus est, quod donet sæcula chartis  
Viciturus genium debet habere liber.

*In invidum. 61.*

Laudat, amat, cantat nostros mea Roma libellos:  
 Meque finus omnes, me manus omnis habet.  
 Ecce rubet quidam, pallet, stupet, oscitat, odit.  
 Hoc volo: nunc nobis carmina nostra placent.

*Ad Oppianum, de Sila.*

no. 62.

Amisit pater unicum Silanus;  
 Cessas mittere munera, Oppiane?  
 Heu crudele nefas, malæque Parcae!  
 Cujus vulturis hoc erit cadaver?

*Ad Marianum. 63.*

Scis te captari; scis hunc, qui captat, avarum;  
 Et scis qui captat, quid, Mariane, velit:  
 Tu tamen bunc tabulis heredem, stulte, supremis  
 Scribis, & esse tuo vis, furiose, loco.  
 Munera magna tamen misit, sed misit in hamo:  
 Et pescatorem pescis amare potest!  
 Niccine deslebit vero tua fata dolore?  
 Si cupis, ut ploret: des, Mariane, nihil.

*In detractorem. 64.*

Cum sis nec rigida Fabioruin gente creatus,  
 Nec quallem Curio, dum prandia potrat aranti,  
 Hirsuta peperit rubicunda sub ilice conjux:  
 Sed patris ad speculum tonsi, matrisque togatæ  
 Filius, & sponsam possit te sponsa vocare:  
 Emendare meos, quos novit fama, libellos,  
 Et tibi permittis felices carpere nugas:  
 Has, inquam, nugas, quibus aurem advertere totam  
 Non aspernantur proceres urbisque forique:  
 Quas & perpetui dignantur scrinia Sili,  
 Et repetit toties facundo Regulus ore:  
 Quique videt propius magni certamina Circi  
 Laudat Aventinæ vicinus Sura Dianæ.  
 Ipse etiam tanto dominus sub pondere rerum  
 Non designatur bis terque revolvere Cæsar.  
 Sed tibi plus mentis, tibi cor limante Minervæ  
 Acrius, & tenues fixerunt pectus Athenæ.  
 Ne valeam, si non multo sapit altius illud,  
 Quod cum panticibus laxis, & cum pede grandi,  
 Et rubro pulmone vetus, nafisque timendum,

138 M. VAL. MARTIALIS

Omnia crudelis Ianius per compita portat.  
Audes præterea, quos nullus noverit, in me  
Scribere versiculos, miseras & perdere chartas :  
At si quid nostræ tibi bilis inuferit ardor,  
Vivet ; & hærebit, totoque legetur in orbe :  
Stigma nec vafra delebit Cinnamus arte.  
Sed miserere tui, rabido nec perditus ore  
Fumantem vivi nasum tentaveris ursi :  
Sit placidus licet, & clambat digitosque, manusque ;  
Si dolor, & bilis, si justa coegerit ira,  
Vrsum erit, vacua dentes in pelle fatigés,  
Et tacitam quæras, quam possis rodere carnem.

Ad Tuccam. 65.

Hexametris epigramma facis, scio, dicere Tuccā.  
Tucca solet fieri : denique, Tucca, licet.  
Sed tamen hoc longum est. solet hoc quoque, Tucca, licetque :  
Si breviora probas, disticha sola legas.  
Conveniat nobis : ut fas epigrammata longa  
Sit transire tibi ; scribere, Tucca, mihi.

De Gelliano præcone  
spurco. 66.

Tamæ non nimium bonæ puellam,  
Quales in media sedent Suburra,  
Vendebat modo præco Gellianus.  
Parvo cum pretio diu liceret,  
Dum puram cupit approbare cunctis,  
Attraxit prope se manu negantem,  
Et bis terque quaterque bafavit.  
Quid profecerit osculo, requiris ?  
Sexcentos modo qui dabat, negavit.

Ad Pannicum, de Gellia  
uxore. 67.

Cur tantum eunuchos habeat tua Gellia, quæris,  
Pannice ? vult futui, Gellia, nec parere.

Epitaphium Eurychi pueri. 68.

Flete nefas vestrum, sed toto flete Lucrino  
Najades, & luctus sentiat ipsa Thetis.  
Inter Bajanæ raptus puer occidit undas  
Eurychus, ille tuum, Castice, dulce latus.

Hic

## EPIGRAMMAT. LIB. VI. 137

Hic tibi curarum socius, blandumque levamen,  
Hic amor, hic nostri vatis Alexis erat.  
Numquid te vitreis nudum lasciva sub undis  
Vidit, & Alcidæ Nympha remisit Hylan?  
An dea foemineum jam negligit Hermaphroditū  
Amplexu teneri sollicitata viri? (pinæ;  
Quidquid id est, subitæ quæcunque est caussa-  
Sit, precor, & tellus mitis & unda tibi.

### Ad Catullum, de Bassa, 69.

Non miror, quod potat aquam tua Bassa, Catulle;  
Miror, quod Bassi filia potat aquam.

### Ad Martianum, de Cotta, 70.

Sexagesima, Martiane, messis  
Acta est, &c, puto, jam secunda Cottæ,  
Nec se tædia lectuli calentis  
Expertum meminit die vel uno.  
Ostendit digitum sed impudicum  
Alconti, Dafioque, Symmachoque.  
At nostri bene computentur anni,  
Et, quantum tetricæ tulere febres.  
Aut languor gravis, aut mali dolores,  
A vita meliore separantur;  
Infantes sumus, & senes videmur.  
Ætatem Priamique, Nestorisque  
Longam qui putat esse, Martiane,  
Multum decipiturque falliturque.  
Non est vivere, sed valere, vita.

### De Telethusa. 71.

Edere lascivos ad Bætica crusimata gestus,  
Et Gaditanis ludere docta modis, (ritua  
Tendere quæ tremulum Pelian, Hecubæque ma-  
Posset ad Hectoreos sollicitare toros:  
Vrit, &c excruciat dominum Telethusa priorem;  
Vendidit ancillam: nunc rediit dominam.

### Ad Fabullum, de fure Cilice. 72.

Fur notæ nimium rapacitatis  
Compilare Cilix volebat hortum:  
Ingenti sed erat, Fabulle, in horto  
Præter marmoreum nihil Priapum.  
Dum non vult vacua manu redire;  
Ipsum surripuit Cilix Priapum.

*In Priapum Hilari. 73.*

Non ruditus indocta fecit me falce colonus :

Dipensatoris nobile cernis opus.

Nam Cæretani cultor ditissimus agri

Hos Hilarus colles & juga læta tenet.

Adspice, quam certo videar non ligneus ore,

Nec devota fociis inguinis arma geram :

Sed mihi perpetua nunquam moritura cupresso

Phidiaca rigeat mentula digna manu.

Vicini, moneo, sanctum celebrate Priapum,

Et bis septenis parcite jugeribus.

*Ad Esculanum. 74.*

Medio recumbit imus ille qui lecto,

Calvam trifilem semitactus unguento,

Foditque tonfis ora laxa lentiscis ;

Mentitur, Esculane : non habet dentes.

*In Pontiam. 75.*

Cum mittis turdumve mihi, quadramve placente;

Sive femur leporis, sive quid his simile ;

Bucellas mafasse tuas te, Pontia, dicis.

Has ego nec mittam, Pontia ; sed nec edam.

*Epitaphium Fusci. 76.*

Ille sacri lateris custos, Martisque togati,

Credita cui sunumi castra fuere ducis :

Hic situs est Fuscus, licet hoc Fortuna fateri :

Non timet hostiles jam lapis iste minas.

Grande jugum domita Dacus cervice recepit,

Et famulum viætrix possidet umbra nemus.

*In Africum. 77.*

Cum sis tam pauper, quam nec miserabilis Irus ;

Tam juvenis, quam nec Parthenopæus erat ;

Tam fortis, quam nec, cum vinceret, Artemidorus :

Quid te Cappadocum sex onas esse juvat ?

Rideris, multoque magis traduceris, Afer,

Quam nudus medio si spatiere foro.

Non aliter monstratur Atlas cum compare ginno.

Quæque vehit similem bellua nigra Libyn.

Iovidiosa tibi quam sit lectica, requiris ?

Non debes ferri mortuus hexaphoro.

A4

*Ad Aulum, de Phryge  
luso. 78.*

Potor nobilis, Aule, lumine uno  
Luscus Phryx erat, alteroque lippus:  
Huic Heras medicus, Bibas caveto;  
Vinum si biberis, nihil videbis.  
Ridens Phryx oculo, valebis, inquit.  
Misceri sibi protinus deunces,  
Sed crebros jubet, exitum requiris?  
Vinum Phryx, oculus babit venenum.

*Ad Lupum. 79.*

Tristis es, & felix: sciat hoc Fortuna caveto:  
Ingratum dicet te, Lupe, si scierit.

*Ad Cæsarem, de rosis hiber-  
nis. 80.*

Vt nova dona tibi, Cæsar, Nilotica tellus  
Miserat hibernas ambitious rosas:  
Navita derisit Pharios, Memphis hortos,  
Vrbis ut intravit limina prima tuæ.  
Tantus veris honos, & odoræ gratia Floræ,  
Tantaque Pæstani gloria ruris erat.  
Sic quacunque vagus gressumque oculosque fere-  
bat,

\* Sutilibus fertis omne rubebat iter.  
At tu Romanæ iussus jam cedere brumæ,  
Mitte tuas messes, accipe, Nile, rosas.

\* Al. *Tonsilibus, & Textilibus.*

*In Charidemum. 81.*

Iratus tanquam populo, Charideme, lavaris:  
Inguina sic toto subluis in solio.  
Nec caput hic veleme, sic te, Charideme, lavare.  
Et caput, ecce, lavas: inguina malo laves.

*Ad Rufum. 82.*

Quidam me modo, Rufe, diligenter  
Inspectum velut emptor, aut lanista  
Cum vultu digitoque subnotasset,  
Tune es, tune, ait, ille Martialis,  
Cujus nequitias jocosque novit  
Aurem qui modo non habet Batavam?

*Subrili*

140 M. VAL. MARTIALIS

Subrisi modice, levique nutu  
Me, quem dixerat esse, non negavi.  
Cur ergo, inquit, habes malas lacernas?  
Respondi: quia sum malus Poëta.  
Hoc ne sœpius accidat Poëtæ,  
Mittas, Rufe, mihi bonas lacernas.

*Ad Cæsarem. 83.*

Quantum sollicito fortuna parentis Etrusco,  
Tantum, summe ducum, debet uterque tibi.  
Nam tu missa tua revocasti fulmina dextra:  
Hos cuperem mores ignibus esse Iovis.  
Si tua sit summo, Cæsar, natura Tonanti,  
Vtetur toto fulmine rara manus.  
Muneris hoc utrumque tui testatur Etruscus,  
Essē quod & comiti contigit, & reduci.

*Ad Avitum, de Phi-  
lippo. 84.*

Octaphoro sanus portatur, Avite, Philippus:  
Huic tu si sanum credis, Avite, furis.

*In mortem Ruci Camo-  
nii. 85.*

Editur heu, sextus sine te mihi, Rufe Camoni,  
Nec te lectorem sperat, amice, liber.  
Impia Cappadocum tellus, & numine lævo  
Visa tibi, cineres reddit & ossa patri.  
Funde tuo lachrymas orbata Bononia Rufo:  
Et resonet tota planctus in AEmilia.  
Heu! qualis pietas! heu quam brevis occidit ætas!  
Viderat Alphæi præmia quinque modo.  
Pectora tu memori nostros evolvere lusus,  
Tu solitus totos, Rufe, tenere jocos.  
Accipe cum fletu moesti breve carmen amici,  
Atque hæc absentis thura fuisse puta.

*Calidam fastidit Poeta, & aquam  
frigidam desiderat. 86.*

Setinum, dominæque nives, densique trientes,  
Quando ego vos, medico non prohibente, bibam?  
Stultus,

LIS  
EPIGRAMMAT. LIB. VI. 143

Stultus, & ingratus, nec tanto munere dignus,  
Qui mavult heres divitis esse Midæ,  
Possideat Libycas melles, Hermumque, Tagumq;  
Et potet calidam, qui mihi livet aquam.

*Ad Casarem. 87.*

Di tibi dent, & tu, Cæsar, quæcumque mereris:  
Di mihi dent, & tu, quæ volo, si merui.

*Ad Cacilianum. 88.*

Mane salutavi vero te nomine casu,  
Nec dixi dominum, Cæciliane, meum.  
Quanti libertas constet mihi tanta, requiris?  
Centum quadrantes abstulit illa mihi.

*De Panareto potore. 89.*

Cum peteret seram media jam nocte matellam  
Arguto madidus pollice Panaretus:  
Spletina data est, sed quam siccaverat ipse,  
Nec fuerat soli tanta lagena satis.  
Ille fide summa testæ Iua vina remensus,  
Reddidit cenophori pondera plena sui.  
Miraris, quantum biberat, cepisse lagenam?  
Define mirari, Rufe: merum biberat.

*De Gellia. 90.*

Mœchum Gellia non habet, nisi unum.  
Turpe est hoc magis. uxor est duorum.

*In Zoilum. 91.*

Sancta ducis summi prohibet censura, vetatque  
Mœchari, gaude, Zoile; non \* futuer. \* futuis

*In Ammianum. 92.*

Cælatus tibi cum sit, Ammiane,  
Serpens in patera Myronis arte;  
Vaticana bibis: bibis venenum.

*De Thaide. 93.*

Tam male Thais olet, quam non fullonis avaræ  
Testa verus, media sed modo fracta via:  
Non ab amore recens hircus, non ora leonis,  
Non detracta cani Transtyberina cutis:  
Pullus abortivo nec cum putreficit in ovo;  
Amphora corrupto nec viciata garo.  
Virus

142 M. V A L. M A R T I A L I S.

Virus ut hoc alio fallax permutteret odore,

Depositum quoties balnea veste petit;

Psilotro viret, aut acida latet obliterata creta:

Aut regitur pingui terque quaterque faba.

Cum bene se tutam per fraudes mille putavit,

Omnia cum fecit, Thaida Thais olet.

*De Calpetano. 92.*

Ponuntur semper chrysendaria Calpetano,

Sive foris seu cum cenat in urbe domi.

Sic etiam in stabulo semper, sic cenat in agro.

Non habet ergo aliud? non habet immo suum.

M. V A L.

# M A R T I A L I S

## Epigrammatum

### LIBER VII.

*De lorica Cæsar's (Domitiani.) 1.*

A Ccipe belligeræ crudum thoraca Minervæ,  
Ipsa Medusææ quem timet ira comæ.  
Dum vacat hæc, Cæsar, poterit lorica vocari:  
Pectore cum sacro federit, ægis erit.

*De eadem. 2.*

Invia Sarmaticis Domini lorica sagittis,  
Et Martis Getico tergore fida magis:  
Quam vel ad Ætolæ securam cuspidis ictus  
Texuit innumeri lubricus unguis apri:  
Felix sorte tua! sacrum cui tangere pectus  
Fas erit, & nostri mente calere Dei.  
I comes, & magnos illæsa merere triumphos,  
Palmaræque ducem, sed cito reddé togæ.

*Ad Pontilianum. 3.*

Cur non mitto meos tibi, Pontiliane, libellos?  
Ne mihi tu mittas, Pontiliane, tuos,

Ad